



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Isnense Monasterium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Isna.

ISNENSE MONASTERIUM, quod intra muros Isnæ, Imperialis apud Suevos oppidi, ad ejusdem nominis fluviolum situm est, ordinis D. Benedicti, fundatum legitur in honorem Sanctorum Jacobi ac Georgii anno Domini 1096. sub Imperatore Henrico V. à Mangoldo patre, Walthero & Wolfrado filiis, Comitibus Veringensibus, quorum hancibi inuenio brevem genealogiam:

Comites
Verin-
genses.

Ex Comite Veringensi quodam nati sunt

Wolfradus. Is obiit anno 1069. Habuit uxorem Hiltrudin Comitissam, quæ obiit anno 1052. Enixa est filios

Mangoldus, Comes Veringensis, verus fundator cum suis filiis. Is obiit anno Christi 1104. Uxor ejus erat Leuthildis. Hæc obiit anno 1106. Iste fundator habuit filios subscriptos duos

Irmingardis genuit filium *Mangoldum.* Postea in viduitate liberalis semper extitit cœnobii à fratre suo constructi benefactrix.

Luitboldum. Is obiit in anno 1040. *Hermannum Con- tractum,* monachum Sangalensem, egregium Chronographum, de quo videtur *Tritbemium.*

Wolfradum. Obiit anno Christi 1065. VI. Idus Aprilis.

Waltherum, qui concidit & obiit anno 1109. in bello ad Idungsheimium gesto.

Isna Civi-
tas Impe-
rialis.

Habitabant Comites isti in alpibus Sueviæ & ad Danubium supra Riedlingum, quibus sine virili successione ex hoc seculo sublatis omnibus, non solum oppidum & cœnobium istud Isnense, sed tota penè eorum ditio ad Dapiferos Scherenenses vel Waldburgenses, præpotentes Algoviæ Barones, devoluta est. Isna tamen civitas Dapiferorum dominio excidit & imperiale oppidum factum est sub Joanne Dapifero, post cæsum ab Helvetiis Othonem anno Domini 1386. Causam lege in Cosmographico opere *Munsteri.* Monasterii Advocatia salva mansit Dapiferis in hunc usque diem. Confirmata est Veringensium Comitum fundatio à Pontific. Max. Paschali II. anno Domini 1106. Dedicata prius Ecclesia in villa Isna ab Eberhardo, Episcopo Con-

Constantiensi, anno 1042. octava Calendarum Januarii ad instantiam & preces Wolfradi Comitis & Hiltrudis uxoris ejus. Donarunt & auxerunt collationibus suis hoc cœnobium Dominus Welfo, Dux Altorffensis, Henrici Ducis & Wulfhildis filius, qui cum anno Christi 1192. ex mortalium hominum conversatione decederet, interiit unâ cum ipso tota stirps Welfonis: Fridericus Barbarossa Rom. Imp. filius Friderici, Suevorum Ducis, ex Domina Judintha, quæ soror extitit supradicti Welfonis. (Is Fridericus, laudatissimus Imperator, dicitur fuisse plenus frater congregationis Inensis) Rudolphus item, Palatinus Tubingensis, & uxor ejus Domina Mathildis anno Domini 1187. Catalogus ejus loci Abbatum talis extat:

*Welfo-
num stir-
pis finis.*

*Abbatum
series.
Diaconus
Abbatis
bomicida.*

*Ursinense
cœnob.*

1. *Mangoldus* eligitur in Abbatem anno 1096. Præfuit annis 4. & trucidatur à diacono suo anno Domini 1100.

2. *Wernherus* successit.

3. *Marquardus*. Is bellum gessit contra Campidonensem Abbatem, Fridelocum, & cœnobium S. Hildegardis in ditionem ac potestatem redegit, sed non admodum diuturnam; post sex enim horas (cum Campidonensis Abbas collegisset exercitum) Inensis magna ignominia iterum ejectus est. Idem Abbas Henrico, Marchioni de Rumsperg, è suo cœnobio Vernherum dedit monachum, primum gubernatorem Ursinensis cœnobii anno Domini 1184.

4. *Burcardus*.

5. *Albertus*.

6. *Bertholdus*.

7. *Conradus*.

8. *Bertholdus II.*

9. *Conradus II.*

10. *Henricus de Brunaw*. Sub ejus gubernatione oppidum Inense una cum cœnobio anno Domini 1284. exustum est. Cœnobium vero Abbas iste egregie reædificavit, & año Christi 1288. à Chunone, Episcopo Tullensi, denuo consecrari fecit.

11. *Hermannus*.

12. *Bertholdus III.*

Mm 2

12. Hen-

*Abbas
moritur
cum toto
conventu
xna die.*

13. *Henricus II.* Is cum toto conventu suo legitur uno die mortuus anno Domini 1350. incuria coci, qui ollam, cui bufo aut aliud quoddam venenosum insectum irreperat, nec inspectam prius nec purgatam cum injectis carnibus foco apposuerat: quas carnes quicumque vorassent, veneno extincti sunt.

14. *Conradus III.* sublati è medio omnibus Isnensibus cenobitis, à Dapifero Othone ex Isnensi parochio Abbas designatus & monastica veste indutus est anno Domini 1350. Quam diu præfuerit, nusquam invenio.

15. *Joannes.*

16. *Georgius Textor.*

17. *Georgius Stiedlin*, Luitchirachianus, ex vicino Imperiali etiam oppido natus.

18. *Philippus de Lapide*, vir nobilis, diu præfuit: tandem contractus & cæcus factus est, Abbas bonus, munificus, hospitalis & liberalis: strenuus cœnobarum suorum reformator, qui antea libere egrediebantur, infalutatis Abbatibus, quoties & quorsum volebant: monasterii item gubernator fidelissimus.

19. *Ambrosius Horn*, patria Phullendorffianus, homo tenax & pumice siccor, præfuit annis 7. Obiit anno 1540.

20. *Helias Frey*, patria Isnensis, præfuit 8. annis. Obiit decrepitis senex anno Domini 1548. in fine Januarii.

21. *Ulricus*, cognomento *Mors*, ex majore Cellæ præfecto Abbas constituitur an. 1549. Præest adhuc currente hoc Jubilæo.

*Nonnen-
berg zu
Salzburg.*

JUVAVIENSE monialium cœnobium, extra muros Salisburgensis civitatis, in vicino colle situm & Nonnarum montis vocabulo cognominatum, coepit annum Domini circiter 585. Sanctus enim Rupertus, primus Salisburgensium Antistes, ex Regum Galliæ Ducumque Scotiæ stemmate oriundus, pro germana sorore sua S. Ehrentrude oratorium ibi initio construxit, ad quam piam virginem cum aliæ etiam accessissent, quæ virginitatis conservandæ studio solitariam vitam elegerant, mox præclarum cœnobium Vestalium puellarum factum est, cujus Abbatissarum talis mihi catalogus à Doctore *Marco Tacio*, Poëta, Ju-
ris.